ACROAMA MARTIALE,

Inter feſtivos ac publicos Regni Applauſus,

De recuperata à Chriſtianis

BUDA

REGNI HUNGARIÆ METROPOLI,

Idque

SUB AUSPICIIS

Sacratiſſimi CÆSARIS

LEOPOLDI,

Nec non

Ejuſdem Victricibus Armis.

Super eodem argumento Verſu extemporaneô metricè concinnatum, atque in vulgus ſparſum

à COLLEGIO STERNBERGICO

Societatis JESU Neo-Pragæ,

ANNO M. DC. LXXXVI. 10. Kalend. Octobris.

PRAGÆ, Typis Academicis, in Collegio Soc: JESV.

Digitized by Google

BUDA iterum Chriſtiana

Annô & die ùt ſuprà.

BUDA vetus Regum ſedes & fida Coronæ
Ac Sceptri Cuſtos Pannoniæq; Caput.
Urbs quondam dilecta Deo, dilecta Mariæ,
Ut primùm à Stephano Cælite, nacta fidẽ;
Centenos, quadragenos, quinóſque per annos
(Proh dolor!) ingenti, ſpe ſinè, preſſa jugô:
Barbariem Solymanne tuam perpeſſa gemebat,
Sortem deflendo ſæpè diúque ſuam.
Scilicet à primis cùm ſe-deſcîſſe videret
Patribus, à Sacris facta aliena ſuis;
Quæve priùs Chriſti quàm zelantiſſima Cultrix,
Ac Romanæ ingens Relligionis honos:
Sacrilegis tandem fœdè polluta (dolendum!)
Ritibus; (infœlix BUDA vel indè nimis!).

Neſcia quid coleret; nocturnæ Cornua Lunæ,
In pretio ac ſignis cœpit habere ſuis.
Eheu! infauſtum ſidus! non ampliùs ergò
Sol tibi lucebit BUDA? nec ulla dies?
Quid niſi Cimmerias expectes BUDA tenebras
A Luna? & noctis quid niſi BUDA chaos?
A Luna? cui pleni Orbis ſpes nulla ſuperſit
Cornua quin expers lucis, utrinque gerat?
Heu me! quàm fœlix mea BUDA (Sicambria quondã
Nomine) dum fidei lux tibi fulſit, eras!
Quid ſupereſt? quòd eras; vel ob id modò térq; quatérq;,
Quòd fueris fœlix, Urbs miſeranda magìs!
Quis te his eripiat flammis? (nam diceris Ofen/
(Quali fornacem nomine Teuto vocat;)
Quis te BUDA tuô, quis te (ô Lunatica!) morbô
Liberet? & Lunam pellat in ima tuam?
Quis lachrymas mea BUDA tuas, jam fletibus uda,
Plùs quàm Danubij ſi tegereris aquis:
Quis peto diluvium tantum deſiccet, & omnis
Abſcedat mœror quô prope merſa jaces?
Quadraginta duos hucuſq; Sicambria Reges*
In ſerie numeras, Cælite Rege duce.

* *Hucuſque 42. Reges Vngariæ cum S.Stephano I. Rege. Kalendarium Tyrnavienſe ad An. 1686.*

Prin-

Principium dedit ille tibi, quò propria Regum
Jure appellari Regia BUDA queas.
Jus primũ eſto illi! Tibi jus LEOPOLDE ſecundũ,
Heû fortunatum ô prime! quis eſſe neget?
Explico; Tu cùm ſis poſtremus in ordine Regum,
Hâc ſeriè ac numerô nonne ſecundus eris?
Es ſuprà quadraginta LEOPOLDE ſecundus,
In BUDAM Tibi jus competit atque Tuis.
Tu niſi Tu miſeræ properes ſuccurrere BUDÆ,
Ac veluti Titan exoriare novus:
Fruſtra BUDA gemit; fruſtra ſub mole fatiſcens
Barbari, in auxilium robur & arma vocat.
Exorere ô Titan! luctu tenebríſque ſepultæ
Urbi Pannoniæ! Luna! faceſſe! peri!
Exorere ô Cæſar! Te rectè dixero Solem
Quem duplum fers in nomine ritè Tuo *
Hactenus occiduum* Solem ſpectavimus in Te,
Exorere! & poſthâc Sol Orientis eris.
Jam ſex ante annos præceſſit Phoſphorus Ortum,
Quando Cometa ingens viſus in axe fuit.
Quàm Tibi, qui Sol es, fuit ille benignus & inſons,
Tam Lunæ pariter noxius ille fuit!

** Leopoldus anagrammaticè: Sole duplo.*
** Occidentalis Imperij Sol.*

Phoſphorus ergò Tibi! Lunæ Heſperus ille vocandus,
Cujus in occaſum (gaudeo!) totus erat.
Aurea præterea LEOPOLDE Aurora favebit,
Cujus ſub pedibus Turcica Luna jacet.
Magna hæc Ungariæ Domina eſt, ſic viſa Joanni
Subdita quòd plantis Luna bicornis erat.
Hanc pedibus LEOPOLDE Tuis ſubſternere geſtit,
Et Capiti ſtellas in diadema parat.
Denique Te Solem, ceu Sol electa juvabit,
Terribilis tanquam Caſtra, cui Aſtra favent.
Qualia dum dixi, quô neſcio percitus æſtrô
Veriùs ad tripodem vaticinatus eram.
Conſurgit Cæſar! mox miles ad arma vocatur,
Armorúmque unus BUDA fit una Scopus.
Illico corripitur Peſtum; mox mænia BUDÆ
Cœpta à Cæſareis obſidione premi.
Miſſilibus flammis vaſtantur tecta domorum,
Cædimus, & contra cædimur, arte pari,
Proh! quanti Pugiles, armis & ſangvine clari
Fortiter hìc animas depoſuere ſuas!
Proh! quantus cecidit miles, digniſſimus ultrà
Vivere cui (opto) pax ſit & alta quies!

An-

Digitized by Google

Ancipiti dum Marte diu pugnatur utrinque,
Erigimur ſpebus dejicimúrque metu.
Penéque jam viſa eſt non expugnabilis armis,
Eſſet ut in ſola ſpes ſuper una, fame.
Væ modò Turca tibi! Cæſar fame cenſet agendum,
Ipsíſque Auguſtis eſt adamata fames.
Frigida potus erat; buccellula præbuit eſcam,
Quâ ſe cogatur dedere BUDA fame.
Quæ tanta eſuries, tot Majeſtatibus ultrò
Complacita, in ternos continuata dies;
Uſque adeò Cœlo placuit, Divíſque, Deóque,
Ut dederit, victas nec mora, BUDA manus!
Curritur inſultu plenô, ſimul impete magnô
Undique, & enormis fertur in aſtra fragor.
Mox trepidus titubare hoſtis, depromere ſigna
Candida, tum frameas ponere, tela, ſudes.
Denique divitias promittere veſtis & auri,
Fundere vota, preces, tendere ad aſtra manus.
At nihil hæc noſtros fortes flexere Leones,
Quos inflammavit juſtus ad arma furor.
Proh! quanta hìc Turcis ſtrages! illatáque clades!
Proh! quantum Turcas inter, ubique chaos.

Id

Digitized by Google

Id mihi prodigium eſt, facinus memorabile faſtis,
Quod nunquam ſtupeas Orbis uterque ſatìs.
Mons erat à BUDA non longè diſſitus, unde
Lugubris hæc Turcis ſcena videnda fuit.
Illic militiæ flos Turcicæ in ordine ſtabat,
Ferret ut obſeſſis (ſi licuiſſet) opem.
Stabat, & ingenti numerô perſtabat in armis,
Ut mox facturi prælia, ſtare ſolent.
Intereà tantùm ſtare hìc immobilis ille,
Stare (inquam) ſimul & flere, movere nihil.
Quid plura? ereptæ ſua vertere tergora BUDÆ,
Ac turpem in lachrymis quærere ſponte fugam.
Talia quis noſtrûm memoret, quin pectore totô
In mera lætitiæ Carmina totus eat?
Incaſſum octonis cincta obſidionibus olim
Hâc demum nonâ, BUDA ſubacta fuit.
Nimirum totidem (ſeu hæc elementa vocemus
Sive characteres) vox LEOPOLDUS habet.
Quodque magìs ſtupeam, quô Turcis ceſſerat olim
Illô ipsô nobis redditur, ecce, die!
Idque ſub Angelicos Feſti Natalis honores
Quorum Author Cæſar primus in Urbe fuit.

Idque

Digitized by Google

Idque die quô Papa ſacrô veſtiverat oſtrô
        Septem ac viginti, (res memoranda!) Patres.
Inſuper illa dies eſt ſacratiſſima Lunæ,
        Ac ſi ipſi Lunæ Luna deeſſe velit.
Auguror æternas hinc ſedes Solibus Auſtri;
        Æternam eclipſin Turcica Luna tibi.
Augurium firmant Aquilæ, quas Solis amicas
        Novimus, hôc viſas tempore BUDA tibi.
Scilicet ùt primùm miles fuit Urbe potitus,
        Supplentéſque vicem Cæſaris, ambo Ducum
Hic fixere pedem (Caſtra hìc noſtratia teſtor!)
        Adſunt Regales, quas memoramus Aves.
At geminæ tantùm; fors per connubia junctæ
        Omine ter fauſtô Magne Hymenæe Tibi
Auguſtô fæcunde Thoro! niſi fortè (nec abs re)
        Par volucrum, Archiduces BUDA fuiſſe velis.
Te rectà Te BUDA ſuô petiere volatu
        Non ſecus ac nidus ſi foret hicce ſuus.
En! quibus auſpicijs, Dominóq; Dominæq; Deóq;,*
        (Sub gemino campi Principe) BUDA redit!
His, his Principibus* debes ô BUDA ſalutem,
        Debes & Dominum in Cæſare nôſſe Tuũ.

*Regi, Mariæ, Chriſto.

* Sereniſſimi Principes Bavariæ ac Lotharingiæ.

Et

Et magnā debes Dominam celebrare Mariam,
Debes & Christo reddere thura DEO.
Finio! Luna cadit, dum Sol in Virgine regnat,
Ergò! quòd redeat Sol tibi, Virgo facit.
Hinc Marianarum nè deſit copia laudum,
Æternum Nomen ſit LEOPOLDE Tibi!
Quid modò BUDA tibi? tibi mille trophæa! triumphi!
Priſca fides, pietas, proſperitáſque tibi!

Sequun-

Seqvuntur

Novem Epigrammatia.

In Gratiam

Totidem ad BUDAM Obſidionum.

De ijs, quæ in allato ſuperiùs Acroamate, notatu digniora videntur.

PRIMUM.

Portentoſus ille Cometes ante Sexennium viſus Turcis malè ominoſus.

Raſis Turcarum Calvis, acerrimus, illud
Crinitum ſidus quid niſi pecten erat?

Digitized by Google

SECUNDUM.

Buda ſub ipſum Turcici Exercitûs aſpe-ctum à Chriſtianis occupatur.

Ut venit, vidit, non vicit, victus abivit,
Vix bene dixit ave, dixit & ille vale.

TERTIUM.

De Aquilis ſub ipſum inſultum Budam advolantibus.

Regales Aquilæ BUDAM petiere volatu,
Aut Nidum, aut Corpus reppetiere ſuum.

QUARTUM.

Buda Chriſtianis erepta 2. Septembris, ſimiliter modò & Turcis.

Alte-

Digitized by Google

Altera Septembris fuerat, dum ceſſerat olim
Turcis; dum facta eſt noſtra, ſecunda fuit.

Quintum.

Erepta Turcis die Lunæ.

BUDA die Lunæ, Lunæ eſt erepta bicorni,
Ergò non Lunæ, ſed magè Solis erit.

Sextum.

Erepta infrà Octavam S. Angeli Cuſtodis die alterâ, quod Feſtum ad inſtantiam Auguſtiſſimi Cæſaris eſt inſtitutum.

Magni Conſilij rem fortiter Angelus egit;*
Cultus quòd Cuſtos Angelus eſſet heri.

* *Teſſera Cæſarea: Conſiliô & Induſtriâ.*

Digitized by Google

Septimum.

Quo die Cæſar Budam occupat, eodem Papa Cardinales 27. creat.

Septem ac viginti Patres à Cardine dictos
Veſtijt hâc, ſacrô murice, Papa die;
Quâ nunc Buda ſuo mota eſt de Cardine Portæ,
A quo pendebat Cardine, Cardo rei.

Octavum.

Occupatio Budæ, arctis potiùs ſuarum Majeſtatum jejunijs quàm armis adſcribenda.

BUDA, tot arma inter nullâ expugnabilis arte,
Compulſa eſt ſeſe dedere, victa fame.

No-

Digitized by Google

NONUM.

Erepta inter feſta Aſſumptæ ac Natæ Deiparæ.

Hoſti, ſe Dominam Regni, atque rebellibus eſſe,
At nobis Matrem, Virgo MARIA probat.

ANNÔ,
quô
A LeopoLDo aVgVsto & pIo
HVngarIæ Rege
BVDa RegnI seDes
LIBertatI sVæ,
eſt restItVta.

Digitized by Google

Digitized by Google